



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

R.P. Richardi Lyncei ... Vniversa Philosophia Scholastica

Complectens Physicam, siue Scientiam de Corpore naturali

Lynch, Richard

Lvgdvni, 1654

Tractatvs I. Quousque compositio continua de conceptu corporis naturalis
sit.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95236](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95236)



LIBER TERTIVS

D E

Compositione continua corporis naturalis.

TRACTATVS PRIMVS.

Quousque compositio continua de conceptu corporis naturalis sit.

CAPVT PRIMVM.

Quid sit compositio continua, & an totum continuum ex ea resultans sit vnum per se.



EXPLICATA compositio essentiali corporis naturalis, eius compositionem continuam aggredimur, tot punctis interpunctam, tot lineis delineatam, tot superficiebus contentam, ac tot diuisionibus sectilem, vt vix aut ne vix quidem comprehendendi, aut explicari possint. Quis enim partes infinitas definire, indeterminatas determinare, aut inaequales disputando aequare possit? Et cum tot difficultates quot partes occurrant, quis omnibus par esse possit? Sic quidem labyrinthus ille nulli remeabilis, nulli non imperitus, à summo artifice per innumeros anfractus, per infinitos Mæadros flexus atque reflexus: credo equidem, vt humani ingenij vel in vnguis compositione cœcutientis elatio detumescat. Communis & Peripateticæ doctrinæ filo regar: non quod exitum inter tot ambages sperem; sed quod ambigere cum plerisque, quam errare cum paucis malim.

Primò autem, vt à facilioribus incipiam, compositio continua est, qua partes aliquæ inter se, & non per modum subiecti, & formæ, vniuntur: quo pacto column v. g. cum capite vnitur, quin alterum sit alterius subiectum, aut forma: quid autem sit, vnam partem esse alterius subiectum, & è contrario alteram prioris esse formam, liquet ex dictis supra lib. 2. tract. 2. cap. 5. Porro compositio continua interdum est partium impenetratarum, vt in adducto exemplo cernere est; interdum verò partium penetratarum, vt cum gradus intensiōis vniuntur, & subiectum aliquod secundum idem calefcit, aut penes quamcumque aliam qualitatem sensim augetur. Cæterum compositio essentialis semper partes penetratas, & in eodem existentes loco postulat.

Continuum autem totumque Mathematicum ex præfata compositione resultans est, quantum sentio vnum per accidens, & non per se. Probatur à priori, quia, vt demonstratum est lib. præced. tract. 9. cap. 7. totum vnumve per se est, quod non identificat sibi pluralitatem intensiuam partium, talémve partium collectionem, quæ singulis earum intensiue sit per-

fectior: vnum verò, seu totum per accidens est, quod eiusmodi pluralitatem siue collectionem partium habet secum identificatam: ex quo vtriusque totius vniusve discrimine sit, Christum dominum, esto partes suas, corpus scilicet, & animam rationalem, Verbiq; substantiam includat per verissimam identitatem, nihilominus haud esse vnum per accidens, sed per se: nimirum quia prædictarum partium collectio earum vnam, nempe Verbi personalitatem intensiue non excedit: cum interim album v. g. sit è contrario vnum non per se, sed per accidens, quæ est eius identitas cum partibus, quæ collectim sumptæ sint perfectiores intensiue, quam earum quælibet in singulari: necnon homo, qui de Petro v. g. prædicatur, haud alia de causa esse possit vnum per se, nisi quia omnem à se pluralitatem partium, adeoque intensiuam excludit. His constitutis, continuum minimè distinguitur à suis partibus, vt probatum manet capite postremo tractatus octauum eorum, quos continet liber præcedens iam citatus: tales autem eius partes collectim sumptæ sunt perfectiores intensiue loquendo quauis earum seorsim usurpata; nec mirum, cum omnes sint finiti ordinis: illud ergo identificat sibi pluralitatem intensiuam partium; ac proinde est totum, vnumque non per se, sed per accidens.

Enimverò continuum, præsertim substantialium partium, esse vnum per se & non per accidens tuetur Hurtado disp. 15. physic. sect. 1. §. 7. & Arriaga disp. 16. phys. sect. 1. num. 6. Pro quorum sententia aduersus nostram obiciet primò: si omnes partes hominis v. g. inuicem abscissæ essent, & nec caput collo, nec hoc pectori, nec pectus reliquo corpori cohereret, nec solum hæ partes determinatæ & præcipuæ, sed, quod plus est, partes materiæ hominis proportionales, & indeterminatæ forent omnes à se inuicem separatæ, sanè quantumuis anima rationalis vnita illis esset, non tam homo ex iis resultaret, quam monstrum quoddam partium discretarum hominis: ergo compositio continua vel omnium, vel certè præcipuarum partium hominis, totumque continuum immediatè ex iis coalescens est de primo, & quidditatiuo conceptu hominis, adeoque vnius per se, cum sublata ea compositione, & eius proximo termino reperiri non possit homo. At vnum per accidens haud potest esse de primo, & quidditatiuo conceptu vnius per se: quomodo enim oppositorum alterum esse potest de quidditate, & prima ratione alterius? continuum ergo resultans ex compositione partium corporis hominis non est vnum per accidens, sed per se.

Respon

5 Respondeo, vnum per accidens bifariam sumi posse: primò pro composito ex subiecto, & accidenti: secundò pro collectione plurium substantiarum finiti ordinis. Priori autem modo haud potest esse de primo, & quidditatiuo conceptu vnus substantialis, ac per se: id enim foret, accidens esse de quidditate, & essentia substantiæ; quo nihil omnium confessione falsius. Cæterum posteriori modo esse potest de vnus substantialis, ac per se quidditatiuo conceptu. Quod patet, quia aggregatum corporis, animi rationalis, & vnionis est eo modo vnum per accidens, vt in loco ostensum est: & tamen est de conceptu quidditatiuo hominis. Tum etiam ens absolutum v.g. albedo est de primo, & quidditatiuo conceptu entis relatiui, siue relationis prædicamentalis, cum hanc simul cum alia albedine constituat, & cum ea realiter inadæquatè identificetur: quidni igitur aliquod vnum per accidens esse possit similiter de quidditate vnus per se, quantumuis opponantur ambo? Tum denique, quod est vnum per se constituit quidditatiuè vnum per accidens: quibus enim lapis acerui est ens, vnumque per se: ergo è contrario vnum aliquod per accidens tale poterit primario, & quidditatiuè constituere atque causare vnum per se: quanquam ergò continuum partium corporearum hominis sit vnum per accidens, posteriori modo eorum quos nuper explicui, nihilominus esse poterit de primo, & quidditatiuo conceptu hominis, qui est vnum substantiale, & per se.

6 Obiicies secundo: materia prima est suapte natura vnum per se: sed etiam est continuum quoddam: ergo aliquod continuum est vnum per se. Maior probatur, quia materia prima est substantia: ergo ens per se: ergo vnum per se: sicut enim vnitas est passio entis, ita & vnitas per se passio est entis per se, & hoc sine illa nusquam inuenitur. Minor autem probatur, quia materia prima est essentialiter diuidua in plures partes: quare, si omnes eius partes separarentur inuicem (quod, an possibile sit, discutietur infra) certè in eo euentu collectio illa partium separatarum materia non esset; sicuti collectio partium essentialium hominis sine vnione, & compositione homo non esset. At solum compositum diuidi, & dissecari potest in plures partes: ergo materia prima sponte sua compositum est: non autem essentialiter: ergo continuum.

7 Respondeo, maiorem, minoremque argumenti esse falsas; & nec materiam esse vnum per se, nec etiam aliquod formaliter tale, de quo solo disputamus. Ad probationem maioris dicendum est, materiam primam non esse substantiam, sed substantiarum seu partium proportionalium, & infinitarum collectionem, ac proinde non esse ens per se, sed entia per se: quare non est, cur sit vnum per se. Dicitur autem substantia, & ens per se, non quod eiusmodi sit formaliter, & stricte, sed tantum causaliter, propterea nimirum, quod simul cum forma substantiali aliquod ens per se, substantiamque, nempe completam constituat, & intrinsece causet. Aut fortè in ea enuntiatione, qua substantia, & ens per se de ea prædicatur, singulare pro plurali accipitur: ea ratione, qua *Æneidos* 1. *Tros Tyriusque mihi nullo discrimine agerur*, perinde est, ac *Troes*, *Tyriique*, &c.

8 Ad probationem minoris dicendum est, si materia prima foret formaliter diuidua in plures partes, futuram haud dubiè compositum, & formaliter, nec aliud quam continuum: diuisio enim, ac separatio non est nisi vnitorum inuicem in aliquo composito: nec rectè dixeris, posse formaliter diuidi, nisi quæ prius coniuncta sunt atque vnita: quamobrem aliquid esse diuisibile formaliter est, illud esse compositum, &

habere partes vnitas: ex quo consequens est, materiam primam, vt dictum est, fore compositum continuumque, si esset formaliter diuidua. Cæterum longè verius est, quod docet Arriaga, vbi supra num. 3. eam non esse formaliter diuiduam, sed tantum radicaliter, & remote, quatenus scilicet partes, in quibus solis sita est, habent capacitatem remotam, & aptitudinem, vt vniantur inter se, & vnitas possint iterum diuidi, & seiungi. Et quidem, iuxta aliquos eorum, quibuscum disputamus, compositum omne formaliter tale ita dicitur produci, sicut eius producitur vnio: quare homo, inquit, generatur, quia eius generatur vnio, tametsi corpus eius, atque anima creentur: ergo, si materia prima est compositum, continuumque ex partibus materialibus vnitis formaliter confluentibus, sanè ea non dicitur creari, sed generari: cum vnio partium, quibus constat, haud dubiè generetur.

9 Obiicies tertio: vna pars materiæ petit alteri vniri; alterutra ergo per se respicit aliam: earum ergo vnio est per se: ergò continuum ex iis vt vnitis siue ex earum vnione coalescens est vnum per se: vt enim ex albedine v.g. fit album, & ex nigredine nigrum, & sic de aliis, quidni similiter ex vnione per se fiat vnum per se? Respondeo, vnum per se, stricte loquendo tale, non habere pro abstracto vnionem partium se inuicem exigentium, siue vnionem per se. Nam inde sequeretur, nec Deum, nec Angelum esse vnum per se; cum neuter præfatam inuoluat vnionem, imò nec vllam vnionem, aut partes vnitas. Deinde fieret etiam inde, Christum esse minus vnum per se, quam Petrum v.g. aut quoduis aliud suppositum finitum; propterea scilicet quod substantia verbi, & humanitas, quibus Christus constat, minus se exigant, & hoc sensu minus vniantur per se, quam substantia creata, & humanitas, quæ iuxta aduersarios Petrum constituunt.

10 Itaque abstractum vnus per se, à quo hoc dicitur, ac denominatur, non tam est vnio per se, quam vnitas per se, hoc est exclusio pluralitatis intensiue partium supra sæpius explicata: vnio autem per se est abstractum solius vniti, aut aggregati per se talis. Atque hæc propter continuum partium materiæ inter se vnitarum, ab earum vnione per se haud debet dici vnum per se, sed vnitum, vel aggregatum per se. Quod si instes, collectionem partium materiæ inuicem vnitarum, vt vnitum per se ita etiam compositum, totumque per se dici posse; respondeo, ideo non posse, quia iuxta communem Auctorum sententiam, compositum, totumque per se, non cum vnito, aut aggregato per se, sed cum vno per se ex partibus aliquibus vnitis resultantè coincidit.

11 Obiicies quartò: vnio partium materiæ non est accidens, sed verissima substantia: eius etiam extrema substantialia sunt, & non accidentalia: nequit autem esse vnum per accidens id, quod nullum inuoluit accidens: continuum ergo partium materiæ eas solas, earumque vnionem, adeoque solas substantias, & non accidens vllum inuoluens haud potest esse vnum per accidens: ergo est vnum per se. Respondeo tamen, collectionem plurium substantiarum omnisque accidentis expertem nihilominus esse posse vnum per accidens, vt ex huius definitione ad initium huius capituli propoſita peripicuum est; vtque inde constat, quod duo Angeli diuinitus vniti forent vnum per accidens, & non per se, vt faretur Arriaga citata sectio. r. num. 10. Et tamen iuxta eundem illorum vnio esset substantialis, sicut ipsi tales sunt, nihilque consequenter in eo esset toto, siue cumulo, quod

quod non esset substantia, nihil rationem obtinens accidentis.

- 12 Obicies denique quintò: continuum partium materiae deferuit homini ad varias functiones, & operationes: quippe sine quo nec pupilla v.g. ei constare potest ad videndum, nec aures ad audiendum, nec musculi, neruique manuum, & pedum ad motum exercendum, & sic de cæteris membris: eiusmodi ergo continuum non est vnum per accidens in homine, sed per se: quod enim vnum esse potest in homine magis per se, quam id sine quo nihil in corpore potest operari?

- 13 Respondeo, vnum, quatenus formaliter tale, magis connotare diuisionem, & pluralitatem, ex conceptu suo eam excludendo, quam actionem, cuius sit principium: tum, quia vnum perinde est, atque indiuisum: tum etiam, quia etiamsi præscindamus ratione nostra naturam diuinam à Trinitate personarum, & ab omni etiam respectu ad creaturas ut ab ea producibiles, nihilominus intelligitur vna: & tamen eam ita præcisam haud concipiemus principium, causamve vllius operationis ad intrà, vel ad extrà. Quapropter, ut ab vno gradum faciamus ad vnum per se, hoc formaliter sumptum non erit, quod requiritur per se ad operandum, sed quod per se excludit pluralitatem intensiuam partium, nec cum ea formaliter ac per se identificatur: proinde, licet continuum coalescens ex vnione partium materiae ad functiones hominis per se sit necessarium atque requisitum, cum tamen præfatam pluralitatem partium per se non excludat, sed potius per identitatem includat, magis erit, ut sit vnum per accidens, quam per se. Adice, potentias omnes hominis, iuxta satis communem, & non improbabilem sententiam, distinguui ab illo, velut accidentia à subiecto, atque adeò cum eo constituere vnum, non per se, sed per accidens: & tamen eas homini ad operandum esse omnino necessarias.

C A P V T II.

An possibile sit corpus naturale, quod continue compositum non sit?

- 14 Corpus omne naturale sub lunæ cauo à Deo conditum integraliter, seu continue componi, sensu, & experientia notum est: nullum enim non potest in partes dissecari, ac diuidi: impossibilis autem esset talis diuisio integralis vtrique, de qua loquimur, sine pluralitate partium integrantium, atque continuatarum. Id ipsum dicendum est, de corporibus celestibus, quæ circum nos mouentur, ac properant: quomodo enim eorum vna pars continua succederet alteri, per motum circularem, nisi partibus continuis constarent? Quod ergo difficultatem continet non modicam est, an possit Deus condere corpus naturale ex nullis partibus continuis, aut integralibus compactum. Ipse non dubito, quin eiusmodi corpus sit possibile: eiusque possibilitatem his rationibus ostendo.

- 15 Non est de conceptu entis corporei, & naturalis ut sic compositio continua: possibile igitur est corpus aliquod naturale completum, siue suppositum, quod eiusmodi compositionis expertes sit. Consequentia perspicua est. Antecedens suadetur, ad homines contra Thomistas: quia iuxta eos animæ brutorum saltem perfectorum indiuisibiles sunt, atque adeo omnis continuæ compositionis expertes: & ta-

men materiales sunt: cur ergo repugnet suppositum aliquod materiale atque corporeum, nulla compositione continua præditum? Deinde, quidquid sit, anima, vel omnium, vel aliquorum brutorum de facto existentes sint indiuisibiles, de quo alibi: certe non video, cur saltem possibiles non sint animæ materiales, & à corpore dependentes, quæ eiusmodi compositionis expertes sint: ergo etiam substantia aliqua materialis completa eius expertis impossibilis non erit.

Præterea ad homines, contra eos, qui puncta materialia physice indiuisibilia, pluribus tamen spatiis imo infinitis versus minimum coextensa admittunt, sic argumentor. Punctum aliquod materiale plura spatia occupat, absque vlla sui diuisione, quæ diuisibili spatio corresponderet: quid ergo vetat, ne ens aliquod materiale completum absque vlla diuisione sui, aut compositione continua partium, plures spatij partes occupet? Equidem, & si eiusmodi puncta inflata, ut aiunt, actu non existant, continuumque non componant, cæterum ea impossibilia esse, nulla ratione persuaderi potest: at in iis tamen merè possibili- 16

bus nostrum fieri potest argumentum. Ad hæc: non est de ratione rei spiritualis indiuisibilitas continuationem partium excludens: ergo è conuerso diuisibilitas continuationem partium inuoluens non est de conceptu rei materialis: atque adeo substantia materialis completa eius continuationis exors nequitiam impossibilis erit. Antecedens in Metaphysica fuscè probandum est: interim sufficiat, præsentiam localem siue vocationem Angelis, quantumvis spirituales, tamen indiuisibiles non esse, sed potius in partes integrales diuiduas, ut rectè docet P. Suarez tom. 2. met. disp. 4. sect. 1. num. 11. idemque de vnione animi rationalis cum corpore, nimirum spirituales esse, & adhuc continue extensas, & diuisibiles pro diuisione partium corporis, non pauci arbitrantur. 17

Rursus, possibile est corpus substantiale completum, quod essentialiter compositum non sit ex materia, & forma, sed potius essentialiter simplex, ut tractatu sequenti patebit: ergo etiam possibile erit corpus substantiale completum, quod continue compositum non sit, sed ea ratione omnino simplex, & indiuisibile. Tandem, esto aliquod corpus substantiale completum expertes esset compositionis continuæ, non ob id spiritus prorsus esset: eiusmodi ergo corpus possibile est: si qua enim ratione impossibile esset, maxime quia ob indiuisiōnem non corpus, sed spiritus omnino foret. Antecedens probatur, quoniam corpus illud seorsim à compositione continua, aliis tamen ex capitibus secerni posset à spiritu, & substantia penitus immateriali: siquidem esset impenetrabile cum quouis alio corpore: spiritus autem ita impenetrabilis non est, ut cernere est in anima rationali cum corpore, quod animat, intus penetratum etiam illud esset, aut certe esse posset intellectus, & voluntatis expertes: necnon libero arbitrio careret, Deumque clarè posset intueri: quæ etiam sufficerent ad eius distinctionem à spiritu perfecte tali: cum hic intellectu, & voluntate, libertatisque arbitrio, & facultate Deum supernaturaliter contuendi nequeat non esse præditus. Atque hætenus nostra de corpore integraliter simplici opinio: quam etsi à scholasticis, vno excepto Ouiedo propugnatam non video, at neque ex professo & in terminis, ut aiunt, impugnata.

Fateor tamen, corpus illud integraliter simplex, de quo supra, non nihil ad conditionem spiritus accessurum, 18

surum, atque aded minus corporeum futurum, quam ea corpora, quæ de facto passim existunt: sicut è contrario res spiritualis continuè composita eo ipso ad conditionem corporis accederet, neque nisi imperfectè spiritus esset. Verum hæc latius in Metaphysica explicanda sunt: ubi, sicut aliquid est sensitivum, atque vnà discursivum, sic etiam quidpiam esse posse simul spirituale, & materiale imperfectè tamen, hæcque differentias in vnâ rem non repugnare confundi, ostendam: ibidem etiam, quod obici potest contra nostram sententiam ex eo, quod indiuisibilitas sit de ratione rei spiritualis, eiusque solius, fuscè dissoluam. Id etiam ad extremum animaduerto, valde probabile mihi videri, corpus omnis compositionis continuæ expers non tantum possibile esse, sed etiam de facto existere, ac talem rationem corporis cælo empyreo conuenire. Sed de hoc latius infra libro nono ad eius initium.



TRACTATUS II.

An corpus aliquod naturale solum continuè componi possit?

CAPVT PRIMVM.

Sententia affirmans eligitur, & probatur.

CORPVS substantiale completum, quod solum continuè compositum sit, & compositionis essentialis ex forma, & subiecto expers sit, vulgo nuncupari solet corpus essentialiter simplex: quod possibile esse, quantum arbitror, similius vero est: idemque arbitrantur, quotquot censent, cælos esse corpora simplicia essentialiter, atque ex subiecto, & forma minime coalescentia; vti commentator 8. Metaph. comm. 12. & lib. 12. com. 20. & lib. 1. de cælo com. 20. Iandunus de subst. orbis q. 1. Zimara theorem. 107. Aureolus, Maior, Bassolis, Durandus, Gabriel, & alij antiqui, quos P. Suarez disp. 13. Met. sect. 10. num. 10. & Cominbric. 1. de cælo, c. 2. & Pereira lib. 5. phys. c. 10. eruditè referunt. In eadem sententia sunt Arriaga disp. 5. phys. sect. 3. Auerfa tom. 2. philosoph. qu. 33. tr. 5. Compton. disp. 3. de cælo. sect. 1. & Ioan. Benedictus, Pendatius, Zabarella, Raguseus, Contarenus, alique, quos referre longum esset.

2. Ratione suadetur: quia in tota latitudine spirituum non repugnat substantia spiritualis completa, qualis est Angelus, & substantia spiritualis incompleta, cuiusmodi est animus rationalis: similiter ergo in tota latitudine corporum possibile erit corpus essentialiter completum, & corpus essentialiter incompleta, formaque substantiali, ad hoc vt compleatur, indigens, quorum hoc de facto existat, illud verò saltem existere possit: cur enim duplex ille essendi modus spirituum, & non corporum proprius sit? Secundò, quia Deus producere potest corpora perfectiora, & perfectiora in infinitum syncategorematicè: quidni ergo ad aliquam speciem corporis deuenire possit, quæ eius perfectionis sit, vt se ipsa, absque forma distincta substantialiter completa sit?

3. Tertiò: sicut corpus completum per formam, quam suscipit, ita natura completum per substantiam, quam terminat: at, quamuis de facto naturam omnem creatam compleri per substantiam à se reali-

ter distinctam disputandi gratia permittatur, negandum tamen non est, quin possibilis sit natura aliqua creata subsistens per se ipsam, & subsistentia à se distincta incapax: quamuis ergo corpus omne de facto compleatur per formam substantialem à se distinctam, (quod aded constans non est) adhuc possibile erit corpus completum per se ipsum, & formæ à se distinctæ prorsus ineptum. Maior perspicua est: nec minus talis est minor propositio: quidquid enim sit, an Angelus de facto subsistat per se ipsum, vel non, certè multis partibus probabilius est, sicut natura diuina se ipsa, & sine aliquo à se realiter distincto subsistit; ita etiam non repugnare naturam angelicam seipsa subsistentem: nec enim ob id infinita euaderet. Vide quæ de hoc diximus supra lib. 2. tractat. 19. cap. 2. & 3.

4. Quartò: possibile est corpus incompletum tantæ perfectionis, vt sine forma substantiali, qua compleri capax est, naturaliter conservari possit, eaque non indigeat: haud secus ac forma aliqua incompleta tantæ tamen perfectionis est, vt sine materia naturaliter esse possit, nimirum anima rationalis: ergo etiam corpus aliquod aded perfectum possibile est, vt formæ qua compleatur non solum egeat, verum etiam eius incapax sit: huiusmodi autem corpus est essentialiter simplex. Antecedens ostensum est à nobis citato lib. 2. huius operis tract. 3. cap. 2. ad eius finem. Quintò: possibilis est materia quæ se ipsa, & absque præsidio vllius vicationis distinctæ in loco sit: non aliter ac ipsa vicationis materialis, & corporea per se ipsam essentialiter spatio loci illigata est: ergo etiam possibilis erit materia, quæ se ipsa, & sine iuuamine formæ distinctæ sit in actu substantiali completo. Tandem, in huiusmodi corpore essentialiter simplici nulla apparet repugnantia, vt inferius solutione argumentorum elucescat.

5. Quam ante prædicti corporis maiori luce, & intelligentia interrogari de eo potest, per quam actionem produci possit, executiuam, an generatiuam? Respondeo per solam creatiuam productum iri. Tum, quia compositum ex materia, & forma substantiali per creationem producit: ergo à fortiori corpus simplex compositum longè perfectius. Consequentia videtur perspicua. Antecedens patebit ex dicendis infra lib. 5. Tum etiam, quia ideo materia prima de facto existens creatur, quoniam non habet subiectum, à quo possit educi: sed corpus completum essentialiter simplex subiecto caret, è cuius potentia educatur: cum enim completum sit, quomodo esse potest forma incompleta alicuius subiecti?

6. Rursus interrogari potest de eodem corpore essentialiter simplici, an vi agentium naturalium annihilari possit? Respondeo certum esse, quod non possit, vi agentium naturalium, quæ de facto existunt, aliorumve similium. Quando enim hæc agentia naturalia tantum destruere possunt, præuie alterando subiectum aliquod, & in illud contrarias dispositiones imprimendo, vt ab eo formam substantialem, quam destructa sunt, abigant, aliamque cum existentia prioris incompossibilem in eo producant; sanè fieri nequit, vt aliquid destruere possint, nisi quod alicuius subiecti forma fuerit: cum ergo corpus simplex nullius subiecti forma sit, profectò horum agentium naturalium, quæ de facto existunt, aliorumve similium vi, atque efficacia destruere non potuit, aut in nihilum redigi.

7. Illud tamen nec imus inficias, nec possumus, agentia naturalia, alterius rationis ab iis quæ modo experimur, corpus illud simplex naturaliter posse destruere.

Si